



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 179. Joannes Mercurius percelebris Philosophus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

**Sæcul. XV.** ingenii sui monumenta Auctor ille posteritati reliquit, inter quæ præcipua sunt: **A.C. 1478.** Speculum aureum de decem præceptis Decalogi; speculum perfectionis; Collationes tres de perfectione vitæ, seu compendium directorii; sermones cum oratione de tribus partibus poenitentiae; discursus de triplici adventu Christi Domini. Omnes hi tractatus ab Auctore sermone Belgico conscripti demum latine redditi sunt.

Circa idem ferme tempus debitum naturæ solvit Calcaneus de Brescia in Italia, Eques, ac jurium Doctor, qui ad posteros transmisit opus de studiorum commendatione, atque aliud de Conceptione B. V. ac denique tractatum de peccatis mortalibus.

## §. CLXXIX.

*Joannes Mercurius celebris Philosophus.*

*Guyon. var. lect. lib. 4. c. 22. Trith. in Chronic. Spanh.* **L**ugdunum hoc anno salutabat nominatissimus Joannes Mercurius, qui scientia atque eruditione omnes antiquos Hebræos, Græcos atque Latinos Doctores sua ipsius opinione longe antecelluit. Ejus adventum in Galliis Spondanus perperam ad Ludovici XII. tempora rejicit.

jicit. Hic Philosophus Francisci itineris socios habuit conjugem, suosque liberos, & lineis indutus, e colo pendentem ferream gestabat catenam, ut Apollonium Thyanæum, cujus discipulum se nominabat, imitaretur. Admirabili vitæ gravitate præstabat, non solum Philosophiam professus, sed etiam artem medicam, qua morbi sensum ac quodvis demum malum proscribere se expertum jactitabat, unde ingentem sibi existimationem conciliabat, eo maxime, quod nonnunquam ipsius medicamentis optata successisset ægrorum sanitas. Demum artis suæ fama etiam ad aures Ludovici delata est, unde a celebrioribus Regni Medicis jussu Regis examini Lugduni subicitur, ubi nil turbatus mira adeo soliditate cuncta sibi proposita explanabat, ut Medici hujus Viri scientiam magis divinitus datam, quam humano labore aquisitam testarentur, ac ipsemet Rex concepto eum visendi desiderio, etiam cum illo in colloquium venerit, ubi Joannes regis suæ Majestati duplex offerebat munus, nempe ensen pretiosissime elaboratum, qui octoginta minores gladios seu cultellos raro artis ingenio complectebatur; & clypeum ornatum speculo, quod pluribus arcanis virtutibus foecundum deprædicabat. Adeo a quæstus cupiditate alienus

Sæcul. XV.  
A.C. 1478.

Sæcul. XV. nus erat, ut omne aurum a Rege sibi  
 A C. 1478. datum in pauperes distribueret. Nonni-  
 si quorundam mensium moram Lugdu-  
 ni trahens, de repente ac nemine saluta-  
 to disparuit, nulla fati sui notitia amplius  
 habita. Trithemius rem hanc ad an-  
 num millesimum quingentesimum pri-  
 mum revocat. Hic vero Philosophus  
 impostor fuisse credebatur, eo potissimum  
 nomine, quod se lapidem Philosophicum  
 tenere, ac metalla convertendi scientiam  
 possidere jactitasset.

## §. CLXXX.

*Frustraneus Eduardi conatus Riche-  
 mundium Comitem capiendi.*

*Bacon. hist.  
 Henr. VII.*

Quamvis Rex Angliæ solium suum cæ-  
 de suorum Competitorum satis fir-  
 maffe crederetur, nihilominus illius ani-  
 mum vita Comitis Richemundii in Bri-  
 tanniam profugi continuis curis agitabat,  
 eoquod ipse solus ex Lancastriensium pro-  
 sapia superstes esset, eoque nomine ad  
 regni coronam jus, titulumque haberet.  
 Ergo Eduardus fraudibus rem aggress-  
 surus, ad Britanniae Ducem Legatos de-  
 cernit, qui significarent, se Filiam suam  
 Richemundio in thori sociam offerre, ut  
 hoc foedere utraque Eboracensium &  
 Lancastriensium Familia perpetuo affini-  
 tatis